



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

vi [i.e. iv]. Nec obest dependentia unius inferiorum ab altero.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

feitias, differentia substantiæ) non impedit tamen univocationem, ad quam sine fundamento requiritur hæc compositio. Unde dictum illud Arist. *impossibile est ens esse genus, eo quod qualibet differentia inferior necessario sit ens?* sic est intelligendum; quod ens non possit esse genus prædicamentale, quia transcendit omnes omnium prædicamentorum differentias (non quidem transcendentia formali, sed materiali, id est, possit prædicari de omnibus differentiis materialiter acceptis) quod non possunt alia genera.

IV. Neque dependentia creaturæ à Deo, aut accidentis à substantia impedit univocationem entis. Dependentia enim vel independentia inferiorum entis non includitur in ratione entis præcisa (nam aliàs secundum nostrum concipiendi modum ens indifferens non esset, ut contrahatur ad Deum vel creaturam &c. utpote quod includendo dependentiam, non posset contrahi ad Deum, cui nihil includens dependentiam, aptum est inesse) neque per nomen ens significatur; nulla autem diversitas tollit univocationem aut unitatem conceptus, nisi illa diversitas explicitè per ipsum conceptum repræsentetur.

Præ-

Præterea ex hac dependentia creaturæ à Deo &c. & prioritate, quâ Deus creaturâ prior est, non sequitur, rationem entis secundum nostrum concipiendi modum prius contrahi ad Deum, quàm ad creaturâ, seu debere prius dari cognitionem tendentem in Deum, & postea cognitionem tendentem in creaturam; nam Deum esse priorem creaturâ, & hanc illo posteriorem, tantum dicit, Deum cognoscendum esse ut principium productivum & priorem creaturâ prioritate naturæ, & hanc posteriorem, quod fieri potest unâ simplice cognitione, terminatâ primariò ad creaturam, secundariò ad Deum, vi cuius hæc cognoscatur ut dependens à Deo; aliud siquidem est, me cognoscere, aliquid esse prius alio, aliud, me habere cognitionem priorem cognitione alterius. Ratio igitur, entis, quæ est in Deo, est independens, à parte rei, sicut animal, quod est in Petro, est rationale, præcisâ tamen per rationem à Deo, neque est dependens, neque independens, id est, in suo conceptu formali, neutrum exprimit. Similiter creatura, qua-

quatenus per nomen *ens* significatur, nullam dicit dependentiam à Deo.

V. Neque inæqualis participatio entis facta ab ejus inferioribus impedit ejus univocationem; nam & animal perfectiùs participatur ab homine, quàm à bruto; verùm hæc inæqualis participatio præcisè & formaliter oritur à differentiis inæqualiter perfectis; & non relucet in conceptu superioris. In summa ratio entis est univoca; nomen enim entis commune est Deo & creaturæ &c. & ratio per nomen eas significata in omnibus ejus inferioribus est perfectè eadem. Deus itaque & creatura in ratione entis non magis differunt, quàm animal & color in ratione sani; differre enim in ratione entis, hìc non significat, differre in perfectione entitativa, sed significat, non posse uno conceptu & una voce *entis* sub eâdem interpretatione exprimi. Neque contrarius est nobis Arist. qui videtur hanc quæstionem non omnino determinasse; etsi enim 7. metaphyl. 4. analogiam entis indicasse dicatur, subdit nihilominus ibidem: *Sed hæc quidem, quomodocumque quis dicere velit,*